VIRO SUMME REVERENDO

HENRICO GUILELMO ULIO

REGI BORUSSORUM AUGUSTISSIMO A CONSISTORIO

PROVINCIAE FRANCOFURTANAE AD AEDEM

S. NICOLAI PAROCHO AQUILAE RUBRAE

EQUITI ORNATISSIMO

D. XXV M. SEPTEMBRIS A. CIƆIƆCCCLVIII

NOMINE

ORPHANOTROPHEI ET PAEDAGOGII STEINBARTIANI

PIE GRATULATUR

RUDOLPHUS HANOW

ZUELLICHAVIENSIS

Zu Horatius, I. 3

TYPIS IOANN. AUG. LANGII ZUELLICHAVIENSIS

Quod nuper amicus ex itinere redux mecum conmunicarat proxime rediturum diem festum quo Tu, uir uenerabilis, ante haec decem lustra operari coepisses, in re et communiter grauissima et proprie laetissima, quod memineram in nostra olim domo abs Te merita esse stipendia prima, annales libros huius domus et scholae consulendos esse existimabam. nec frustra consulebam. namque in annali edito quarto huius saeculi anno Sositheus Samuel Steinbart, uir omni laude ornatissimus, qui tum huic domui praeerat postquam narrauit breui ante tres doctores hinc abisse idem conmemorat illico suffectos esse quattuor nouos doctores. altero, inquit, loco a me uocatus est Henricus Guilelmus Ule, Francofurtanus, theologiae candidatus, qui quod obiit munus puerorum et erudiendorum et tuendorum autumno prioris anni, in eo tanto studio tantaque dexteritate uersatus est ut optima quaeque de eo sperare liceat. iam perlustro indices lectionum proximis annis habitarum uideoque quam late patuerit iam tum Tua eruditio et industria. quod enim pueros tertii ordinis inbuebas doctrinae christianae placitis et secundae classis ciues elementis ebraeis, poteras uideri Tuam et propriam administrasse prouinciam, quod idem non semel sed continuo primi ordinis iuuenibus patriam tradebas linguam ut discerent recte et dicere et scribere, et secundi ordinis discipulis magnarum ciuitatium historiam, grauissimas huius institutionis partes intellegitur abs Te susceptas esse. accedit quod singulis

semestribus uel graecae uel latinae uel gallicae linguae docendae cura Tibi mandata erat. Atque in hoc tanto tamque honesto munere quantum e nostris indicibus adparet per decem semestria manebas ad autumnum anni h. s. VIII.

Haec igitur cum ex annalibus huius domus eruissem indeque conlegissem eodem illo autumnali tempore Te, uir uenerabilis, hinc discessisse ad munus ecclesiasticum obeundum, laetus uidebam eorum qui hodie cum gratulatione Te adeunt recte constare rationem, uerum multo etiam laetior intellegebam uberiorem quandam eamque iucundissimam mihi dari copiam qui ad illos quinquaginta annos addere possem quinque cum multa laude in pueris erudiendis conlocatos. sic enim mihi persuasi longissimam quamque aetatem honeste exactam cum multo sudore esse beatissimam et diuinae benignitatis manifestissimum testimonium.

Sed post discessum Tuum anno h. s. octauo factum aetas hominis quae adpellatur et plus abierat cum quadragesimo anno exeunte huic domui, cuius duae sunt partes uno corpore conligatae, noua quaedam constitutio adhibetur. altera enim pars quae est externarum rerum diu erat ex quo acceptorum et expensorum rationem praefecturae Francofurtanae cottannis reddebat, altera quae continet scholam et puerorum educandorum instituta ad id temporis conlegio scholastico quod Berolini sedem habet subiecta paruerat. Iam illo quo dixi anno uiro maximo in cuius arbitrio summa rei scholasticae Borussorum tum posita erat discerptum nostrae domus moderamen ad unum idemque reuocare consilium et utramque partem Francofurtanae praefecturae subdere placuit. quod institutum tametsi initio aliquid aegritudinis, ingenue ut fatear, et ancipitis curae nobis adferebat qui a naturali ceterorum gymnasiorum communione uideremur auelli, breui tamen factum est ut depulsis illis curarum tormentis bene nobis factum esse confiteremur. Etenim Francofurtani regiminis tunc erat caput Augustus de Wissmann cui nostram rem curae cordique

esse probe sciebamus, sodalis autem Tu eras, uir uenerabilis, isque eras sodalis cui huius scholae et huius paedagogii patrocinium obueniret. Exegimus igitur Te patrono decennium — quo confecto omnis cura nostri in conlegium scholasticum concessit — cuius et gratissimam et suauissimam usque memoriam seruabimus. quotiens enim cunque ambigebamus animo, errabamus aut in discrimen adducebamur, mitis sapientia Tua non deerat nobis quae leni nos salutarique consilio iuuaret. Quid multa? ad hodiernum morem ut orationem meam accommodem, numeros adfero qui loquantur. autumno anni XXXX centum quadraginta sex erant discipuli et alumni qui nostra disciplina uterentur, autumno anni L ducenti nouem. per eosdem annos duodenonaginta iuuenes legitimo examine cui Tu quotiens per maximam Tuam occupationem licebat cum religione et humanitate praeeras exploratos spectatosque in academiam misimus.

Haec est nostra eaque iustissima caussa cur hoc die festo quo multi Deum optimum maximum Tua caussa adprecantur, nostrae quoque uocis bonam partem accedere uelimus et „o Sol pulcher, o laudande“ canamus laetitiae plenissimi. iuisti enim, uir candidissime, quo Te caelestis sapientia ducebat. Posui autem haec Q. Horatii Flacci uerba quae sunt in epistula III libri I de quibus Tecum conloquerer paucis. Quod me satis nosti qualis sim, non uereor ne magna exspectes frustrataque spe discedas iniquus. hoc unum est quod ago ut in parua re magnam cerni Venusini artem si fieri possit explanem atque demonstrem. Qui postquam ibi Iulium Florum amicum tanto esse ingenio instructum dixit ut ad quamcumque artem sese contulisset in ea praeter ceteros uideretur excellere posse, iam addit

quodsi
frigida curarum fomenta relinquere posses,
quo te caelestis sapientia duceret, ires.
hoc opus, hoc studium parui properemus et ampli,
si patriae uolumus, si nobis uiuere cari.

In quibus cum fere commentatores uerba „hoc opus, hoc studium“ ad caelestem rettulissent sapientiam nec aliud secutum esse poetam existimarent oratione bipartita nisi ut eandem uim grauissime enuntiaret, plus sapere sibi uisi sunt Io. C. Orellius et nuperrime Ludouicus Doederleinius. Quorum ille aliquid discriminis esse uolebat inter opus sapientiae et studium sapientiae ut „ad actionem referretur illud, hoc ad θεωρίαν“. quia de latino poeta explicando agitur, non de nostro quodam scriptore, uir doctissimus illud discrimen uidetur iniuria statuisse. Quid enim? quod priores sedes tenet Maeonius Homerus, in tanto honore habetur quod „quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit“ itemque Socratem illum summis extulerunt laudibus quia „primus philosophiam deuocauit e caelo et in urbibus conlocauit et in domus etiam introduxit et coegit de uita et moribus rebusque bonis et malis quaerere.“ Ad summam, ut quaeque ars aut doctrina plurimum uidebatur conferre ad uitae usum recte temperandum, ita plurimi eam faciebant neminemque philosophi nomine digniorem habebant quam Catones. Ludou. autem Doederleinius cum Orellianum ita obtineri posse arbitretur ut opus uelit esse munus philosophiae quod suscipiunt qui philosophiae operam dent, studium autem quasi inclinationem animi qua ad illud munus suscipiendum trahamur atque ducamur, altius tamen, ut ita dicam, spectat ac plane nouam adfert explicationem. duo esse enuntiata quorum prius sit „hoc opus“, alterum „hoc studium parui properemus et ampli“, prius ita perfici ut cogitatione addatur „est“, ablatiuo „hoc“ prioris membri ostendi officium quod est ambitionis omittendae, uerbis alterius membri notari sapientiae amorem. In quibus incredibile est dictu quam parum uir clarissimus illam iudicii elegantiam et integritatem, quo Horatius pollet, cuius ipse Doederleinius solet esse elegantissimus uel existimator uel imitator, quam igitur parum hanc iudicii elegantiam et integritatem curauerit. Quamquam dignissima res uidetur quae altius

repetatur pleniusque demonstretur, hodie tamen breui praecidam. Poeta igitur cum uel consilio uel necessitate quadam coactus idem uocabulum bis terue in uno eodemque uersu uel in duobus pluribusue uersibus continuis ponit, summa diligentia id sequitur ut altero uel tertio idem sit sonus eademque uis et si fieri possit etiam eadem figura uocabuli quae fuerat primo loco. nimirum hoc illud est „unum et simplex“ ad quod poeta in minimis maximis contendit. lege haec

o ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est
scribimus indocti doctique poemata possim
lusisti satis edisti satis atque bibisti
si bene qui cenat, bene uiuit, lucet, eamus
nostra sed inpugnat nos nostraque liuidus odit
spectandum nigris oculis nigroque capillo

habebisque illam speciem ac formam quae ad artis normam expressa est. nec uereor ne haec et similia nobis obiciantur

labitur et labetur in omne uolubilis aeuum
nauim agere ignarus nauis timet — — —
Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo

quae tantum abest ut illam obseruatiouem euertant ut adiuuent egregie atque stabiliant, dummodo uersus illi recte et disponantur et recitentur. addimus hos uersus qui etiam propius ad illam similitudinem accedunt

hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas
haec placuit semel, haec decies repetita placebit
hos ediscit et hos arto stipata theatro
an rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons
hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Quocirca in Horatium, elegantissimum poetam, negamus et pernegamus id conuenire quod a Doederleinio ei obtrusum est, ut in eodem uersu poneret primum ablatiuum hoc cuius producta est uocalis o nulloque paene interuallo interiecto accusatiuum

hoc in quo breuis est o uocalis, adfirmamus porro et contendimus in una eademque sententia quae per totum uersum pertinet, inscite illa bipartita quam statuit oratione incidi uerborum ordinem et structuram. Accedit quod de hoc quidem loco ualeat grauissimum. cura est enim omnis animi motus uel tardior uel uehementior cum praesentibus rebus non contenti alias quaerimus, cum saepe uel addito nomine uel omni sententiae tenore cuius sit rei cura subtilius definiatur, quia nihil tale accessit h. l. ne minima quidem suspitio est cur ad ambitionem referantur. Reiecto hoc Doederleinii instituto haec quidem quae quasi de pleno pectore manant

hoc opus, hoc studium parui properemus et ampli

plana erunt et expedita, sed frigidissimum remanet tormentum in illo uersu

frigida curarum fomenta relinquere posses

in quibus quae positae sunt commentatorum artes dici uix potest quanto opere arte careant et ratione. fouendi enim uis cernitur in calore ut quidquid sine calore est fouere non possit, ergo si adtribuatur fouendi rationi id quod est contrarium, uis frigoris, necesse est illa exoriatur orationis figura quae adpellatur oxymorum. Sed huius figurae certissimus est modus et quasi color uel iocose ridendi uel acerbissime castigandi. indicant illa horatiana „insaniens sapientia“ et „concordia discors“. haec autem epistula quam poeta ad Iulium Florum misit nihil habet salis aut facetiarum nec altercationis aut iurgii sed serio uersatur in rebus exquirendis quarum non minus amicorum quam Horatii studium erat ut oxymori figura in eam cadere non possit. quocirca dum melius inueniatur accipio quod ab aliquo olim propositum est

frigida curarum tormenta relinquere posses.

Nec uero hoc uocabulum fomentorum quod ex hoc uersu remouendum duximus defenditur aut conmendatur altero loco quo apud Horatium extat. in II epistulae his uersibus

qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus et res
ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
auriculas citharae conlecta sorde dolentis

illa duo „fomenta podagram“ tanto opere pugnant et cum rei ueritate et cum elegantissima poetae subtilitate ut non dubitem a magno Bentleio accipere podagrum — quae scriptura ne librorum quidem auctoritate destituitur — et pro fomentis conicere scriptum ab Horatio esse lomenta. Qui oculis utuntur bene constitutis, pictis tabulis delectantur, qui auribus non dolentibus, citharae cantibus delectantur, qui pedibus et manibus recte ualent, ablutione delectantur, cum lippos nihil iuuent tabulae, podagros nihil iuuet ablutio, auribus dolentes nihil iuuent citharae cantus. Sententiae igitur explanatio cum sit optima, ne in uocabuli quidem ui et significatione uidetur haerendum esse. ut enim momenta dicuntur pro motibus multaque similiter, sic lomentum pro lotione uel lotura dici poterat.

Sed Tu, uir uenerabilis, qui tantum uitae spatium emensus es cum Tua felicitate multorumque salute „nitere porro“, uiue, uale!

Scr. Zuellichauiae m. Septembri a. CIↃIↃCCCLVIII
